

# Landesbibliothek Oldenburg

## Digitalisierung von Drucken

### **Friderici Iacobi Beyschlagii, Gymnasii, quod Halæ Suevorum est, Adiuncti, & ad ædem S. Mich. Archangeli Catechetæ extraordinarii, Sylloge Variorum Opusculorum**

(Programmatvm, Orationvm, Epistolarvm, Poematvm, Dissertationvm, Aliarvmqve Observationvm ... )

Fascicvlos I.II.III.IV.V. Ab Annis MDCC.XXVII.M.DCC.XXVIII.M.DCC.XXIX. Editos, Complexvs. Cvm Indice Triplici.

**Beyschlag, Friedrich Jakob**

**Halae Suevorum, M.DCC.XXIX**

IX. Supplementa, Illustrationes Et Emendationes Tomi I. Hvivs Sylloges.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16134**

## IX.

SUPPLEMENTA, ILLUSTRATIONES  
ET EMENDATIONES TOMI I.  
HUIUS SYLLOGES.

*Ad Quest. post. præf. Fasc. I. coll. Fasc. II. p. 265.*  
In generalibus æque ac specialibus Bibliorum  
Complutensium, (quibus instructissima Biblio-  
theca Ducalis Ienensis superbit,) præfationibus  
ne unicum quidem verbum, quod pro honorifi-  
ce in Fabrum Stap. dicto haberi possit, invenire  
se potuisse, scripsit amicus quidam d. 24. April.  
1728. ad Cel. Io. Matth. Gesnerum, qui d. 12. Maii  
e. a. humanissime id mihi per literas significavit,

*Ad pag. 1. coll. p. 17. de ultimo Christi Paschate*  
recentissimæ sunt Dissertationes, una Rev. M. Io.  
Englerti, Suinforti A. 1726. habita, & recensita  
in Act. Erud. & Cur. Franc. P. III. p. 177. sqq.  
coll. Relatt. Innoc. 1726. p. 1084. altera Cl. M.  
Ge. Imman. Weidleri Dissert. contra Harduinum,  
Witteb. 1727. hab. Conf. doctissimus Anglus  
Io. Richardson in suis Prælectionibus Eccles. de  
quibus vid. Acta Erud. Lips. 1727. p. 111. sqq.  
Vol. I. n. III. ubi disquirit; an Christus ultimum  
suum Pascha eodem tempore cum Iudæis cele-  
brarit. Adde Bibl. Lubec. Vol. I. p. 167. de sen-  
tentia Ven. L. Gottfr. Kolreiffii.

*Ad p. 19. lin. 11. sqq.* Optimus ille Senator,  
cuius hic mentionem fecimus, ante hos duos  
menses, scil. d. 10. Maii A. 1728, b. obiit,

Ad

*Ad p. 63. 64.* Eruditissima dubia, Regin. Polum, quem vitæ Longolii auctorem esse, demonstrare conabar, spectantia, publice mihi nectere libuit præstantissimo Krausio, in Novis suis Liter. 1727. p. 725. sq. quibus ut acquiescam, par est. Cæterum cum ibidem elogia mea, quibus ipsum, ob doctissimas ad P. Manutii Epistolarum libros tres priores annotationes suas, ornare volui non magis, quam debui, tam modeste a se declinat, in sinum eius ista eo cumulatius nunc refundo, quo minus ad me pertinere sentio illam laudem, quæ p. 724. ex humanissimo eius calamo excidit, gratissimo interim animo agnoscens perdoctam opellæ meæ exiguæ ibi institutam recensionem.

*Ad p. 81.* Florentinam epistolarum & orationum Longolii editionem nactos deinceps nos esse, p. 133. sq. diximus, & p. 137. sqq. eandem descripsimus.

*Ad p. 100.* Sim. Verrepæi editionem Epist. clarorum virorum Antverpiensem recte adduxit Draudius, prodiit illa apud Io. Bellerum, ad insigne Aquilæ aureæ. Fuit iam tum inter libros meos, sed postea demum manibus meis se obtulit.

*Ad p. 101. lin. 11. sqq.* Vir ille doctus est Rev. M. Io. Godofr. Lessingius, de cuius instituto Nova Liter. A. 1726. p. 421. sqq. evolvenda esse, monere ibi volui.

*Ad p. 103.* Vir Doctiss. Io. Ge. Schelhornius in  
literis

literis d. 6. Febr. 1728. ad me missis, multa ad hunc Fasc. I. erudite annotavit, quorum nonnulla in gratiam lectorum meorum, pace V. Cl. inde excerpam. Ita ad notam meam pag. 103. subiectam, humanissime hæc mihi pergrata perscripsit: Acu rem tetigisti, Beyschlagi Clarissime, p. 103. suspicans, in recentissima Dictionarii Bæliani editione, ea, quæ Teisserio conquerendi ansam dederunt, omissa esse. In secunda namque editione, post verba: Malheureux que lui: hæc leguntur: *le n'ai point trouvé ce passage, où Mr. Teissier nous renvoie, c'est peut-être que je n'ai pas eu assez de patience pour le chercher: peut-être aussi que mon (a) édition est moins ample que la sienne, mais j'ai trouvé d'autres endroits (b) où Longolius témoigne une estime & une amitié particulière à Flaminius J'ai même trouvé dans le 2. livre un passage qui a quelque rapport à celui de Mr. Teissier. Le voici: (c) Ego nihil ad Flaminius &c. Flaminius n' étoit encore qu'un jeune Ecolier, & par conséquent on n'auroit pas eu sujet de dire. &c.* Hæc ipsa autem verba, & sequentia, in tertia etiam editione extantia

---

(a) Elle est de Paris 1533. in 8. chez Jodocus Badius.

(b) Voyez lib. 2. fol. 190. & lib. 3. fol. 240.

(c) Ibid. lib. 2. fol. 183. verso.

extantia, prioribus, quæ in hac desiderantur, iuncta, Teisserio id exprobrare videntur, de quo is, verbis a te allegatis, conqueritur. *Hac ad me præstantissimus Schelhornius.*

*Ad p. 106. med. In eadem coniectura me confirmavit Cel. Krausius in Nov. Lit. 1727. p. 725. & Cl. Schelhornius ita in lit. cit. ad me scribens: Feliciter quoque deprehendisti p. 106. originem, e qua Bælii suspicio profluxit. Gallica enim veste indutum revera protulit Longolii locum de Flaminio agentem, non addito epistolæ numero, sed generatim libro tertio in margine allegato, quod ex ipsa illa editione elogiorum Teisserianorum, qua Bælius usus est, quæque Genevæ A. 1683. in 12. prodiit, didici.*

*Ad p. 129. Io. Fichardi collectionem vitarum benevole postmodum ad nos transmisit humanissimus Schelhornius, cuius libri rarissimi, & paucissimis satis noti, descriptionem in sequente falciculo exhibebimus.*

*Ad p. 132. Operam dabo, ut consilium istud de vita Longolii uberius notis illustranda, suo tempore exequar, cum præstantissimus Krausius in Nov. Lit. 1727. p. 726. operam meam qualemcunque non frustra fore, tam candide significaverit.*

*Ad p. 174. Cel. Mart. Hankii Collegium Politicum MS. penes se esse, idem Schelhornius me certiore fecit. Quæritur: num hic sit ille Hankius, quem Ill. Boineburgius in memorabili*  
Epist.

Epist. LXXXI. p. 297. Io. Conr. Dieterico tanto-  
pere commendat, quemque eruditorum amo-  
rem mereri ait. Conf. Act. Erud. 1704. p. 78. 79.

*Ad p. 151. lin. 8.* Mart. Hankium A. 1681. Go-  
tha non evocatum esse Vratislaviam, uti hic  
operarum vitio falso exscriptum est, sed A. 1661.  
ipse iam monui p. 179. in nota subiecta.

*Ad p. 179.* de gemina moneta rarissima in  
honorem Io. Cratonis cusa, confer etiam, quæ  
in Fasc. III. p. 523. sq. dicta a nobis sunt.

*Ad p. 183. sqq.* Iuvat afferre, quæ de Tan-  
Fabri methodo Vir doctissimus, A. S. Gesnerus,  
(cuius hic mentionem fecimus, cuiusque aliud  
quoddam Programmata elegantissimum Fasc. IV.  
p. 743. sqq. inseruimus,) Rotenburgo ad Tub. d. xx.  
Maii, 1728. perquam comiter ad nos perscri-  
psit: *Recognovi hisce diebus, quæ de meo quo-  
dam Programmata in primo fasciculo commemo-  
randa duxisti, & plus te mihi pro humanita-  
te tua tribuisse, quam mereor, perspexi, cum  
censura te mea commentationem tuam subiicere  
scriberes. Sum tibi in plerisque, immo, nisi fal-  
lor, in omnibus ὁμόψηφος: sed Fabri Me-  
thodum ante oculos me non habuisse, etsi eam  
in Commentariis litterariis (Memoires de Lit-  
terature,) Hagæ Comitum 1717. 8. a Sallengrio,  
ut arbitror, editis, eorumque T. II. P. II. recusam,  
legerim alias, ipse mihi conscius sum. Multo plura,  
uti*

utiliora, & graviora, complecti illa Fabri Methodus mihi videtur, quam auctorum legendorum ordinem, qui solus methodi nomine non est, ut ego quidam sentio, satis dignus.

Hactenus Cl. Gesnerus, cuius de Fabri methodo sententiæ vicissim & ego prorsus sum ὁμολογῶντες; neque enim in commentatiuncula mea scopum illius penitus exhaurire, sed nonnulla ad prudentem auctorum veterum lectionem facientia, &c. ad ipsius mentem in ea exponere, constitutum mihi erat. Oblitus tum eram indicare, dictum Fabri libellum a SALLENGRIO recusum esse; moniturus id tamen in Supplementis ipse eram, antequam Gesneriana epistola opportune eiusdem me rei commonefaceret. Exstat vero integra ea Fabriana diatribe, gallice scripta, loc. cit. T. II. Part. II. art. III. p. 62 — 105. sub titulo, quem & in Fascic. I. p. 184. ex Morhofio iam adduxeram: *Methode pour commencer les Humanitez Grecques & Latines, par M. le Fèvre*. Ipsius vero Tan. Fabri icon ornat eandem Partem II. Tom. II. Sallengrii Comment. Liter. ubi & in Sectione I. p. 1 -- 19. vita Tan. Fabri, legitur, hac præmissa inscriptione: *La vie de Tanegui le Fèvre*, ex qua laudata Fabri methodus in multis egregie illustratur.

Ad p. 198. sq. Cum grano salis accipienda esse, quæ de tota Ovidii operum lectione ibi dicta sunt, denuo hic monere visum est; eamq; illis modo, qui ex instituto literas humaniores tra-

Etant, præterea iudicio ac bonis moribus præditi abunde sunt, viris hinc magis, quam iuvenibus, suaderi non magis, quam indulgeri posse, graves sunt nonnullorum sententiæ, & audiendum hic esse omnino putamus Celeb. C. A. Heumannum, in prioribus foliis eruditæ præfat. quam Sapientiæ Scenæ Romanæ, Ilenaci 1716. 12. ab illo editæ, præmisit. Conf. Ven. Iac. Frid. Reimanni præfatio, Introductioni ad Hist. Liter. Antediluv. præfixa, folio 7. verso.

*Ad pag. 204. sq.* Cuilibet fasciculo Nova quædam Literaria, varii scil. generis, inprimis tamen ea, quæ ad Sueviam meam pertineant, additis variis observationibus, subiecturum me esse, hic promisi. Adeoque latius patet institutum meum, quod ad sola Nova Liter. Suevica restrinxit Cel. Krausius, in humanissima recensione Fasc. I. Sylloges meæ, in Novis suis Literariis, ad A. 1727. p. 728. (\*)

*Ad pag. 206.* Relationibus de rebus eruditis ad Superiorem præcipue Germaniam spectantibus, in quibus Suevorum inprimis res literariæ diligenter expositæ sunt, quæque lingua vernacula conscriptæ, ab A. 1717. Vlmæ prodire cœperunt,

(\*) *In hac ipsa pagina erratum typograph. in prænomine Luscinii irrepsisse, & pro Ottonis, legendum ibi esse, Ottmari, ipse Krausius in subiecto erratorum indice monuit. Pace Viri Cl. liceat & aliud leve erratum in pag 722. emendare, atque pro 1717. substituere 1716.*



perunt, sexque, ni fallor, partibus, quas possideo, & quarum ultima 1718. edita est, constant, Relationibus, inquam, Ulmensibus, quarum hic mentio facta est, adiacere omnino a nobis debuissent Hebdomadariae Relationes de Suevicis Novis Literariis, quae Tubingæ A. 1721. 8. publicatae, sed & ipsae postea interruptae sunt, de quarum scopo & utilitate erudite differit Vir Nobiliss. Io. Iac. Moserus, in Iudiciorum de libris Iuridicis & Historicis absque partium studio pronunciatorum (unparthenischen Urtheilen von Juridisch-und Historischen Büchern) Parte II. n. I. p. 93. sqq. De collecta e viris doctis Academia Historiarum Suevica, eiusque proposito & legibus, Cel. K. Augustus in Novis Litter. Lips. quae latino sermone conscripsit, A. 1721. M. Nov. p. 168 -- 176. prolixam evulgavit notitiam, Tubinga ad ipsum tunc transmissam. De Ven. GE. CONR. PREGIZERE opera, in rebus literariis Suevicis breviter describendis, in hoc Fasc. IV. p. 870. 871. egimus; idem & vitas ac memorias eruditorum Suevorum, recens defunctorum, exhibere consuevit, quod ipsum etiam in Amoen. Liter. in posterum

N n n 2

præ-

*hoc ipso enim Anno 1716. Io. Lud. Seiferheldius ex Rectore Gymnasi, Pastor primum in summo templo S. Mich. Archang. factus, & 1717 ibidem Ecclesiastes, &c. constitutus est. vid. Fasc. I. p. 2. coll. Fasc. III. p. 599. & 602.*

præstare se velle, additis aliis historiam nostræ gentis litterariam illustrantibus rebus, in præfatiuncula T. VII. præmissa, promisit eruditissimus Schelhornius, addens, amicorum quorundam monitu istud se cepisse consilium. Quodsi forte docti, & rei literariæ Suevicæ propalandæ studiosi ipsius amici, ad eiusmodi quid Cl. Schelhornio suadendum, & ipsi incitari se passi sunt illa mea, optimæ intentionis plenissima, adhortatione, qua eundem Schelhornium, ad idem institutum suscipiendum, hoc ipso in loco (p. 206. Fasc. I.) iam ante editum T. VII. Amœn. liter. publice excitare ausus fueram; vel si sua sponte in hoc venerunt consilium: mihi profecto gratulandi causam habeo, qui loco citato idem eodem tempore tam sincere exoptaverim.

*Ad p. 210. not. (b)* Prophetarum versionem Hetzerianam Augustæ Vindelicorum non minus anno 1528. in fol. quam 1527. eadem forma, prodiisse, duos oculatos testes contra me ipsum proferre me iubet veritatis literariæ, quod semper amavi, studium. Alter est Ven. Dn. D. ZELTNERVS, quem Theologum illum celeberrimum esse, cuius hic (p. 210.) mentionem feci, ipse ostendi in Fasc. II. p. 433. ubi & de Hetzero quædam dixi. Ita autem Zeltnerus Altorfio Norimbergensium d. 15. Maii, 1727. ad me scripsit: *Quæ de Hezeri Editionibus observasti, grata fuere, in nota tamen subiecta præter rem & meritum de ἐκδόσει August. in fol. ut vocant, (An. 1528. addere forte voluit Ven. Zeltnerus,) te dubi-*

dubitasse, in Dissert. hac de Versione Prophetarum propediem publicanda, ostendam: cum aliud me usus oculorum, quibus ea subiecta semel iterumque fuit, edocuerit. Hæc ille. Alter est Cl. Schelhornius, in cuius epistola sæpe laudata, hæcce lego: „ Prophetarum versionis Hezerianæ non eam duntaxat editionem, quæ Augustæ Vindel. ex offic. Sylvani Ottmar A. M. D. XXVII. in fol. prodiit, ipse possideo, sed & edit. A. M. D. XXVIII. per eundem in fol. evulgatam, cuius curatorem notitiam desiderat Theologus Tibi laudatus p. 210. quem Summe Venerabilem Doct. Zeltnerum, communem nostrum Præceptorem esse, nullus dubito. In eo autem differt altera a priore, quod in titulo haud compareat votum illud Hetzeri libris præfigi alias solitum: *O Gott erlöß die gefangnen*; absit porro Hetzeri præfatio, & cap. V. Iesaiæ erratum istud, quod sub finem prioris editionis emendari iubetur, sublatum iam sit. *Am V. Blat der ersten seynten / der XV. zehl liß also / wie ich mit meinem Weingarten umgeen wöll.* Hæc autem editio absoluta fuit d. VII. Martii A. M. D. XXVIII. prior d. XXII. Iunii M. D. XXVII. Sed de his aliisque Hetzeri libellis propediem ad ipsum Cel. Zeltnerum perscribam. „ Sic Schelh.

*Ad pag. 213. sqq.* Ottmari Luscinii Versionem Psalterii Germanicam iam ante Rev. Bruckerum descriptam in Contin. Relatt. Innoc. 1721. p. 544. sqq. nec ibid. 1727. p. 803. monitum id esse, miror.

*Ad p. 215.* De Herbeni & Reginonis Codici-

N n n 3 bus

bus MSS. de Musica agentibus, egimus quoque in Fasc. III. p. 570. sq. & Fasc. IV. p. 918. Reginonis codicem innui credo in Bibl. Brem. Cl. VIII. p. 974. ubi & de alio Cod. Music. fit mentio.

*Ad p. 219. lin. 4. & 5.* Præfationem B. Rhenani, Xysti Sententiis præmissam, M. D. XVI. Cal. Oct. scriptam esse, diximus in Fasc. II. p. 384.

*Ad p. 220. Gratissima mente agnosco doctissimam coniectura mea, minus hic quidem felicis illustrationem Schelhornianam, in literis d. 6. Febr. 1728. ad me missis, benevole suppeditatam:* Vbertinum Pusculum Brixensem, ait, non eundem esse cum Io. Matth. Tiberino vel Tubertino, arbitror. Ad manus mihi est liber, quem Tom. VI. Amœn. p. 601. allegavi, hoc titulo insignitus: Vbertini Pusculi Brixensis duo libri Symonidos. De Iudæorum perfidia. quomodo Ihesum Christum crucifixerunt, Divos Ricardum Parisiensem, Symonem Tridentinum afflixere martyrio, suppliciaque dedere. In calce hæc leguntur: Impressum in Augusta Vindelicorum per magistrum Iohannem Otmar suis in ædibus ex transverso sacelli sancte Ursule intra rivos Lici. Anno M. D. XI. III. ydus April. Titulum excipit Ottm. Prognei (\*) Endecasyllabon ad lectorem, Ioannis Pini-

(\*) i. e. Ottmari Luscinii, seu Nachtigall, de quo, eiusque Hendecasyllabo hic laudato, vid. eiusd. Cl. Schelhornii Amœnit. Liter. T. VI. p. 601. & p. 455 --- 489. coll. nostræ Sylloges Fasc I. p. 213. sqq. & Fasc. IV. p. 933. in fine.

Piniciani ad eundem epigramma, Io. Matth. Thyberini elegia, quam his inclusi, Tibi forte non iniucundam, cum grata breuitate tristia Simonis fata enarret, & Raphaelis Romei de eodem puero carmen undecim distichis constans. Sequitur deinde Io. Curtii Eberspachii, cui poematis huiusce editionem debemus, præfatio, Augustæ Vindel. A. M D X I. III. id. Apr. scripta, porro Io. Vögelin Haylbrunnens. ad lectorem hexastichon, tum ipsius Vbertini Pusculi Brixienfis ad Io. Hinderbach, Episcopum Tridentinum, dedicatio, soluto sermone exarata, cui succedit oratio ad Simonem: Ora pro nobis beate Simon martyr Christi, ut digni efficiamur promissione Christi: & ad Deum: Deus, qui beatum Simonem martyrem tuum ineffabilibus miraculis in puerili infantia, ut Iudæorum detestanda feritas pateret, inenarrabiliter ostendisti: fac nos quæ ipsius meritis & passione veritatem agnoscere, & cœlestia semper amare. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Tandem exhibentur ipsi duo Vbertini Pusculi Brixienfis libri Simonidos, heroico genere non inconcinne scripti, quorum prior hoc habet primordium:

*Qui quondam duro cecini sub Marte cadentem  
Constantini urbem magnam Graiumq; ruinantem  
Imperii, secum populos in fata trahentem:  
Nunc immane mihi facinus fatuq; tremendum  
Admissumq; nefas nullo memorabile in ævo  
Gentis Iudææ mæsto venit ore canendum.*

*Infantisque dolo capti, qui tractus ad aram  
Victima, stans toto perfossus corpore vivus  
Spectavit vitam fugientem sanguine venis  
Manante in longam pœnam fera dicere fata  
Cogor, & infandum scelus hoc differre per  
orbem.*

Inde perspicuum, eundem carmine etiam descripsisse Constantinopoleos fata. Meminit eius Iacobus Philippus Bergomas in Supplemento Chronic. f. 289. edit. Venet. A. MDXIII. his verbis: Huius Imperatoris (Constantini nempe Palæologi) & prædecessoris gesta & imperii amissionem Ubertinus Poscullus (ita eum in margine quoque & indice nominat) civis Brixianus, vir in Græca Latinaque lingua non mediocriter eruditus, cum ex eorum (Turcarum scilicet) præda liber invasisset (l. evasisset) Romam veniens pulcherrimo versu descripsit. Io. autem Matthiæ Tyberini Epistolæ antiquissimam editionem in instructissima Perillustris Domini de Krafft Bibliotheca adservari, notavi Amœn. litt. T. III. p. 130. Post Gœzium eam in Selectis suis litt. p. 635. sqq. Celeb. Seelenius recudi curavit. Istorum virorum memoriam adeo neglectam & oblitteratam esse, dolendum est: e pauculis enim, quæ supersunt, eorum ingenii monumentis patet, non inelegantes fuisse.

\*

*Mentionem fecit Cl. Schelhornius in supra  
(p. 935.) exhibitis verbis, Io. Matth. Thyberini  
Elegia de Simonis fato, quam & hic inseremus.*

Divo

\*

Divo Ioanni quarto Pontifici &  
Domino Tridentino Cæsari suo, Ioannes  
Mathias Thyberinus, E. R. D. S. (\*) &  
filius inter curarum fluctus raptissime  
confecit in arce Silvarum, Sexto Nonas  
Iulii, M. CCCC. LXXV.

*De Sancto Simone Tridentino.*

*SVm puer ille Simon, quem nuper in urbe Tri-  
denti*

*Gens Iudæa sacra torsit in ebdomade.*

*Accipe inauditum facinus, dictuq; nefandum*

*Quisquis Iudæos sustinet, accipiat.*

*Ante Diem Paschæ lux tertia vespere facta*

*Et Martis dictus nomine mensis erat.*

*Ante fores patris puerili more sedebam*

*Non aderat genitor, non mea cara parens.*

*Non advertenti mihi proditor ecce Thobias*

*Astitit: & torvo lumine cuncta notat.*

*Vt nullum vidit, blanda me voce moratur.*

*Non ego fabar adhuc, vix ego natus eram,*

*Nondum ter denos menses mea viderat ætas.*

*Ita meæ vitæ parvula summa fuit.*

*Cor-*

---

(\*) i. e. Eius Reverendissimæ Dominationis Ser-  
vus. Hæc verba Schelhornius ad marg. scripsit.

Corripior : me fertque statim Samuelis ad edes,  
Impia Iudaïm gens simul illic erat.

Consilium horrendum, trucesque in lumine vultus,  
Non homines, viperæ diraque monstra magis.

Nox ruit : hinc gemini Salmon Samuelque  
Tobias

Vitalis Moyses Israel atque Mohar

Ante Synagogam lati mea pectora nudant,

Convellit carnem forcipe quisque mihi,

Et ne clamarem Samuel mea guttura velat

Ille mihi plantas continet, ille manus.

Sanguine collecto de me crudeliter addunt

Impia Iudai verbera, verba, minas.

Accipias suspense Iesu fecere sic olim

Maiores nostri funera rite tibi.

Sic confundantur cælo, terraque marique

Christicola, & nostræ gens inimica tribus.

Iamque propinquabat mihi mors, iam luce ca-  
rebant

Lumina, iam fugerat pectora nostra calor.

Erigor, hinc dextrum Moyses, Samuelque sini-  
strum

In cruce pandentes brachia nostra trahunt.

Tunc omnes crebris acubus mea pectora pungunt,

Afficiunt vitio meque piique Ihesum.

Sic cecidi molles caput inter concidit ulnas

Ad superos vita libera fecit iter.

Vt



Vt perii plaudunt omnes superosque salutant,  
Quod de Christicolis ultio facta sibi est.  
Ad cœnam properant rebus sic deinde peractis  
Deque meo in mensa sanguine quisque bibit.  
Confectas mandunt azimas de sanguine nostro,  
In Christi solum dedecus omne Ihesu.  
Inclitus Hinderbach præsul princepsque, Ioannes  
Sceptra Tridentini qui regit alta soli,  
Hebræos postquam mihi funera summa dedisse  
Presensit, de me nocte dieque dolet.  
Colligit extinctum corpus: mandatque sepulcro,  
Iudaos merita morte ferire iubet.  
Adsis Sixte precor fidei ratis anchora nostræ  
Pontifici nostro porrige præsidium.  
Hic pugil est constans, hic est pius ille Sacerdos,  
Cuius vota mea complacuerunt Ihesu.  
Sume scutum & sacrum gladium triplicemque  
coronam,  
Tolle induratum papa beate caput,  
Adsint & reges adsis fortissime Cæsar  
Adsis cum populis principibusque tuis.  
Dede neci Hebræos: qui res: preciosaque rerum  
Christicolum: rabidi nocte dieque vorant.  
Christicolum fuso tantum qui sanguine gaudent  
Qui mandunt tepida membra cruenta virû.  
Ad pag. 222. sqq. Summe Ven. Dn. D. Eberh.  
Dav. Hauberus sua sponte humanissimam ad me  
misit

misit epistolam, Hagæ Schauenburgicæ d. 20. Maii, 1728. exarata, e qua pace V. Cl. hæc excerpam, quæ lectoribus meis sine dubio perquã grata erunt: „ Ut iam accedam ad id, quod nos coniunxit, fateor, me citius iusto duos Nicolaos Germanos pro uno venditasse, atque a te primum ea de re fuisse admonitum edoctumque meliora Paulo tamen post, quam id ex Novis literariis Lipsiensibus (\*) didicissem, misit ad me iam diu ante promissam demonstrationem amplissimam communis noster atque amicissimus Amicus Büemannus, tres esse diversos viros, Nic. Hahn, Nic. Cusanum, Nic. Donis, atque tres esse diversas Ptolemæi Editiones, Romanam anni 1482. Vlmensem anni 1482. atque Vlmensem anni 1486 — — Dudum est, quod ipse novæ Editionis Ptolemæi consilium cepi, & nuper admodum idem mihi in Batavia a non paucis suggestum est. Atvero eius prosequendi nec tempus mihi nec facultas iam suppetit. Meditabar tamen dissertationem epistolicam de nova Ptolemæi editione, ubi etiam de prima eius tum editione, tum versione latina differere constitueram.

(\*) Respicit Celeb. Hauberus ad A. 1727. p. 728.

\* \* \* \* \*

*Ad ultimum L. B. significamus, mox editum iri Appendicem ad Tomum I. quæ Paralipomena & Indices locupletissimos, aliaque exhibebit, nominatim Observationem, qua docebitur, Casp. Ammannum, cuius Psalterium Cel. Seelenius in Select. lit. p. 732. sqq. describit, (conf. Amæn. Lit. T. VI. p. 455. sq.) eum lem esse cum Casp. Ammonio Theol. D.*

VIRO

*Maxime Venerando, Excellentissimo  
& Amplissimo,*

**IOANNI BALTASARI  
BERNHOLD,**

**Sacrae Theologiae Doctori,**  
illiusque in celebri Noricorum  
Academia Professore P. O. dignissimo, &  
V. D. M. in Ecclesia Altorfina  
meritissimo,

**Divinarum humanarumque  
scientiarum egregie perito, atque  
ingeniorum ad praecleara quaeque conten-  
dentium fautori & aestimatori iusto  
ac idoneo,**

Patrono suo debita observantia, sinceroque  
animi affectu constanter colendo,  
& prosequendo,